

Quās quia Pygmalion aevum per crimen agentēs 243 _____

vīderat, offēnsus vitīis, quae plūrima mentī _____

fēmineae nātūra dedit, sine coniuge caelebs 245 _____

vīvēbat thalamīque diū cōsorte carēbat. _____

Intereā niveum mīrā fēlīciter arte _____

sculpsit ebur formamque dedit, quā fēmina nāscī _____

nūlla potest, operisque suī concēpit amōrem. _____

Virginis est vērae faciēs, quam vīvere crēdās, 250 _____

et, sī nōn obstat reverentia, velle movērī; _____

ars adeō latet arte suā. Mīrātur et haurit _____

pectore Pygmalion simulātī corporis ignēs. _____

Saepe manūs operī temptantēs admovet, an sit _____

corpus an illud ebur, nec adhūc ebur esse fatētur. 255 _____

Ōscula dat reddīque putat, loquiturque tenetque, _____

sed crēdit tāctīs digitōs īnsīdere membrīs _____

et metuit pressōs veniat nē līvor in artūs. _____

Et modo blanditiās adhibet, modo grāta puellīs _____

mūnera fert illī, conchās teretēsque lapillōs 260 _____

et parvās volucrēs et flōrēs mille colōrum _____

līliaque pictāsque pilās et ab arbore lāpsās _____

Hēliadum lacrimās. Ōrnat quoque vestibus artūs; _____

dat digitīs gemmās, dat longa monīlia collō; _____

aure levēs bācae, redimīcula pectore pendent. 265 _____

Cūncta decent; nec nūda minus fōrmōsa vidētur. _____

Conlocat hanc strātīs conchā Sīdōnide tīnctīs _____

appellatque torī sociam acclīnātaque colla _____

mollibus in plūmīs tamquam sēnsūra repōnit. _____

Festa diēs Veneris tōtā celeberrima Cyprō 270 _____

vēnerat, et pandīs inductae cornibus aurum _____

concliderant ictae niveā cervīce iuvencae, _____

tūraque fūmābant, cum mūnere functus ad ārās _____

cōnstitit et timidē 'Sī, dī, dare cūncta potestis, _____

sit coniūnx, optō,' nōn ausus 'eburnea virgō' 275 _____

dīcere, Pygmaliōn 'similis mea,' dīxit, 'eburnae.' _____

Sēnsit, ut ipsa suīs aderat Venus aurea festīs, _____

vōta quid illa velint et, amīcī nūminis ōmen, _____

flamma ter accēnsa est apicemque per āera dūxit. _____

Ut rediit, simulācra suae petit ille puellae 280 _____

incumbēnsque torō dedit ōscula; vīsa tepēre est. _____

Admovet ōs iterum, manibus quoque pectora temptat; _____

temptātum mollēscit ebur, positōque rigōre _____

subsīdit digitīs cēditque, ut Hymettia sōle _____

cēra remollēscit tractātaque pollice multās 285 _____

flectitur in faciēs ipsōque fit ūtilis ūsū. _____

Dum stupet et dubiē gaudet fallīque verētur, _____

rūrsus amāns rūrsusque manū sua vōta retractat. _____

Corpus erat; saliunt temptātae pollice vēnae. _____

Tum vērō Paphius plēnissima concipit hērōs 290 _____

verba, quibus Venerī grātēs agit, ōraque tandem _____

ōre suō nōn falsa premit; dataque ōscula virgō _____

sēnsit et ērubuit, timidumque ad lūmina lūmen _____

attollēns pariter cum caelō vīdit amantem. _____

Coniugiō, quod fēcit, adest dea, iamque coāctīs 295 _____

cornibus in plēnum noviēns lūnāribus orbem _____

illa Paphon genuit, dē quā tenet īnsula nōmen. _____